



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Cap. I. Historica enarratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

ARIMASPI { Solino Monocula gens: & verò Herodoto lib. 4.
 Scythicâ linguâ *Arima* vnum: $\omega\delta$ oculum sonant. Ammianus lib. 22. vocat iustissimos, & placabilitate cognitos. Quomodo, & an pugnent cum Griphis, legantur Ornithologi, inter cæteros Aldroandus.

HYPERBOREI { Post Riphæos montes gens felix, inquit Plinius; & nos de iis pluribus in Asia, ad cuius oram Borealem extendi tum ostendemus.

LIBER QUINTVS.

De Regno Polonia.

CAPVT PRIMVM.

Historica Enarratio.

§. 1. Nomen.

POLONOS alij dictos volunt ab vrbecula *Poloneza* ad Vistulam: alij Polonos quasi *Polachos*, hoc est *posteros Lechi*, qui primus Polonis imperauit: Et verò Russi eos *Lascos* vocant, Vngari *Lengel*, quæ voces à *Leche* quidam non putant abludere. Nonnulli tamen, iique doctiores hanc vocem deriuant à nomine *Polska*, quæ & *planitiem*, & *venationem* sonat, quia hæc Regio plana, & incolæ optimi venatores.

§. 2. Quantitas.

Longitudo Regni Polonici desumitur ab oppido *Schauibusin* in limite Silesiæ ad *Smolenskum* in Russiâ, quæ extensio ad maiorem circulum reuocata, dat 11 gradus cum minutis 30. ac proinde milliaria 690. leucas nostras 345. Germanicas 172 $\frac{1}{2}$, Russica *Vorest*, seu *Virst* 910.

Latitudo excurrit ab ostiis Tyræ fluuij vulgò *Dniester*, ad urbem *Memel*, versus Liuoniam, quæ amplitudo applicita maiori circulo, dat gradus 10 cum 40. minutis, igitur milliaria 640. leucas nostras 320. Germanicas 160. Russica *Verist* 869. circiter.

§. 3. Qualitas.

REGIO hæc paulò frigidior, non tam quia in Boream declinat, siquidem *Abbauilla* est eiusdè cum *Cracouia* latitudinis, sed quia deurgit in Septentrionem, quod eius flumina omnia in *Codanum* euoluta innuunt. Quare superatis iugis *Carpathiis* Hungaria illicò lætior. Tota etiam syluestris, sed iam deiectis arboribus passim in campos feraces extenditur; fert & omnis generis fructuosas arbores, si oleam, & quæ neque nascuntur in *Belgicâ* excipias. Sal fossile ad *Cracouiam* celebratur in primis, & coctile in *Russiâ* ab igne, in *Podolia* etiam à Sole. Colligitur potissimum *Succinum* in *Prussiâ*. Quantum frumenti *Polonia* daret experta *Italia*, nos etiam præcipitante superiori sæculo vidimus. Pelles indidem preciosissimæ afferuntur, quibus & proceres suas vestes adornant. Quæ pascua in *Lithuanîâ*? quanta hîc copia piscium & venationis? Ex *Samogitiâ* quantum mellis, & ceræ veniat, *Bataui* satis mirari non possunt, quæ ex cauatis arboribus eruuntur.

§. 4. Origo Polonorum.

SARMATÆ olim dicti postea *Slau*, & *Slauini*, ex suis sedibus bis exierunt, & primò in antiquas *Vandalorum* sedes irruerunt, vnde & *Vandali* dicti sunt, vt & *Venedi*, & *Vinidi*, immò & aliis nominibus, *Obotrite*, *Resi*, *Rani*, &c. permixti hi porrò *Slau* cum *Teutonibus* sub nomine *Vandalorum* in *Pannonias* primùm excurrerunt, vnde à *Gothis* deiecti, tandem in *Hispaniam* cõmigrarunt, & inde in *Africam*, vnde per *Belisarium* exterminati sunt; eorù tamen aliqua reliquæ in antiquas sedes remeasse creduntur. Vtrum autem pars eorù aliqua sub nomine *Polonorum* vixerit, est incompertum. Circa hæc tempora ex palude *Mæotide*, & fluuiio *Tanai* emerfit alia gens idiomate *Slauico* vtens, continensque *Roxolanos*, seu *Russos* & *Ruthenos*, qui cum *Volgaris*, seu *Volhiniis* coniuncti, primò *Tauricam Chersonesum* subierunt, atque

que exinde per magnam Europæ partem effusi mira edidere crudelitatis monumenta. Postmodû tamen disijuncti, varias occupauere Regionibus sub variis nominibus. Nam Russi in Septentrionem irruerunt; Volgari in Mysiam; Morauî à Morauo fluuio dicti sunt; Volhyniorum hæsit in Poloniâ nomen; Boiohæmi nomen & Regionem inuenerunt; nomen totius in quibusdam locis Illyrici remansit. Meminit Slauorum Procopius, meminit & Iornandes, qui addit Slauorum nomen suo tempore fuisse nouum, sed non linguam. Interim Slauî illi degentes in Illyrico diuturnâ seditione laborarunt, cuius pertæsi duo Principes Cechus & Lechus nouas quærere sedes decreuerunt; itaque magnam occupauere Germaniæ partem: & Cechus quidem in Boiohæmiâ restitit, Lechus autem promouens copias suas in Septentrionem, cæsoque Germaniæ regulo dum quærit idonea loca ad figendas arces, reperit Aquilarum nidum; quare ex consilio augurum hîc urbem condidit, dictam à nido *Guesna*, circa annum Christi 550. & Aquilam candidam voluit esse Polonici Stemmatîs insigne. De aliis Regionibus, vt Craco conditore Cracouiæ, legantur huius gentis Annales.

§. 5. *Origo Cosacorum.*

FORTISSIMI Polonorum creduntur Cosaci, qui primum exiisse dicuntur ex Insulâ Borysthenis, in cuius etiam ostio hodie viuunt, Turcis terribiles sub Russorum nomine *les Roux*: neque vnquam inde eiici potuerunt; quia illæ Insulæ grandioribus arundibus prætextæ, maioribus nauibus aditum occludunt: inde autem cum suis lintribus exeuntes, equisque ad eas religatis, in Asiam vsque penetrarunt, & nostra ætate Synopen combussere. Extensi sunt quoque ad radices montis Carpathi, indèque egregiam nauant Polonis operam contra Turcas, Russos, & Tartaros, quos ipsi suis excursionibus vexant. Polonis nihil damni afferunt. Neque serunt, neque metunt, nihil tamen iis deest, certis aut rapere, aut mori. Eorum numerum augent Poloni nobiles egentes, decoctores, alicuius criminis rei. Ducem eligunt, cui obsequuntur, legibusque militaribus. Omnes fermè Christiani sunt & pij, nomènque habere dicuntur à voce Ruthenica *Cozac*, quæ significat militem vagum, atque viuentem ex rapto.

Parall. Geogr. Tom. II.

D d

§. 6. *Mores Polonorum.*

INTER Septentrionales Europæos Poloni maximè urbani sunt, libertatis amantissimi, retinentissimi morum suorum, ingenio valent, & ad omnes disciplinas idonei, quas plerique nobiles profitentur. Oblongis utuntur togis more Turcico, quas tamen belli tempore mutant in sagum. In condiendis cibus, ut & epulis parùm culti, omnes in eodè poculo ebibunt; nulla mantilia ad mappam communem digitos abstergunt. In urbibus sat lautæ domus, in agris ex luto, & paleâ. Nobilitas rusticos ad instar mancipiorum habet. Pauci reperiuntur qui Latinè nesciant. Linguâ utuntur Sclauicâ, cui multas Germanicas voces admiscuere. Linguam Græcam detestantur ob schismaticos Græcos. Si nobilis hîc moriatur nondû vxore ducta, eius affines purpurati funus eius cohonestant. Equis expeditissimis utuntur, sed parùm domitis: preciosis vestibus induti nobiles incedût. De moribus Lithuanorum, Prussorum legantur, qui de his plura scripserunt, iam enim in Polonorum mores, ut & ditionem populi illi transferunt.

§. 7. *Regni Polonici constitutio.*

CONFLATVM est hoc Imperium ex Poloniâ, Lithuanâ, Prussîâ, & regionibus iisdem adiunctis: hîc videndum nobis quomodo hæc omnes in vnum corpus coaluerint.

RUSSIA MERIDIONALIS subacta est à Casimiro Magno, cùm progenies Danielis Ducis hîc defecisset. Eodem etiam regnante,

MASSOVIÆ Dux sese sceptro Polonico subiecit; habuit tamen hæc Prouincia Principes suos ad annum Christi 1526.

LITHVANIA, per Iagellonem Ducem adiecta est, qui nupsit anno 1386. Heduuigæ filiæ Ludouici Hungari Poloniæ Regis eâ lege, ut suos thesauros in Poloniam deferret, & Poloniæ, ditiones suas adnecteret; scilicet Lithuaniam, Samogitiam, & partem Russiæ Albæ.

Recepit idem Iagello, dictus postea Vladislaus, in clientelam Vaiuodam Moldauicæ, qui ab Hungaris tempore interregni sese subduxerat.

Eodem imperante nobiles Prussi sese Polonis adiunxerunt, sed id demum sub Sigismundo firmiùs perfectum est.

PRUSSIA igitur olim Imperio subdita tempore Friderici II. Equitibus Teutonicis parebat, qui eam vi ad Christianam religionem compulerant. Sed illa exosa dominos suos, sese Polono subdidit anno 1454. tempore Casimiri, qui retudit Equites, eosque ad pacem compulit, iniquioribus conditionibus: tum enim Prussia, quæ inde Regia dicta est, Polono cessit, reliquum Magistro Teutonico: sed demum sub Sigismundo, Marchio Brandenburgicus Albertus creatus est Dux Prusiæ, eamque abolito Magistratu accepit hæreditariam.

LIVONIÆ quoque pars erepta est fratribus Enfingeris, ac denique regnante Sigismundo Augusto prædicti Sigismundi filio, Gotardus Ketler vltimus Magister ordinis Liuonici exautoratus est, factusque Dux Curlandiæ, & Semigalliæ secularis; ea tamen lege, vt ab Rege Poloniæ penderet.

Olim & Palatinus, seu Voieuoda Transiluanicæ fuit Poloniensis, sicut & postea duo discreti Valachus, & Multanicus, ex quo & natus tertius Bessarabicus: sed hunc Palatinatum Turca occupauit; alij duo in clientelam Ottomanicam transferunt.

§. 8. Politia.

Hic status est ex Monarchico, & Aristocratico temperatus. Rex eligitur à Senatu & Nobilitate, semper tamen demortui filius secundum leges Regni. Ad Varsouiam sub pellibus eligitur, præsidente his comitiis Archiep. Gnesnensi. In postremâ electione numerati sunt equorum 100. millia. Rex nihil potest statuere in Clerum & Nobilitatem, sed eorum res in Comitibus terminantur. Eligit tamen Rex Palatinos, & beneficia confert: itaque demereri potest nobiles suos, vexare non potest. Quotannis Comitibus celebrantur, in quibus Castellanus Cracouiæ præcedit Palatinos. Palatinatus in Castellanas, hæc in Præfecturas *Gouuernemens* diuiduntur. Leges olim habebant Poloni paucas, nunc vtuntur pluribus à Sigismundo Augusto prolatis, aut ordinatis. Nobiles in suis agris ius dicunt, sed in exercitu omnium rerum cognitio ad Regem deuoluitur. Olim Rex duodecim milliones auri seponebat, nunc tantum sex. Quid copiarum scribere possit intelligimus ex Vladislao qui nostra ætate occurrit Turcis cum 170. millibus; certè intra mensem aiunt armare posse 100. millia Equitum ad tuendos agros suos: paucas arces habent; fortitudinem suam pro arcibus esse gloriantur.

D d ij

§. 9. Religio.

Svb Myesko Principe omnes Poloni facti sunt Christiani, quod ipse cæcus oculos recepisset. Vnde quotannis certo die pueri statuatam in aquas deiciunt. Diu, Nobiles sub initium Euangelij gladium ex parte stringebant. Religio hîc constantissimè, & purissimè viguit vsque ad Lutherum: huius enim impuri hominis dogmata cum in Poloniam irrepsissent, omnibus ferè hæresibus in eam aditum aperuerunt. Catholica tamen Religio hîc viget ope maximè Episcoporum, quibus Iesuitæ egregiam nauarunt operam, & ab iis impensè diliguntur. Hic quidam Rutheni ritum Græcum sequuntur; item & Armeni, suum. Potētissimi hæreticorum sunt noui Tritarij. Iudæi hîc quoque tolerantur, vt & Mahumetani pauci in Lithuanicâ ditione.

POLONICI REGNI DIVISIO.

ANTI- QVVM R E- GNVM POLO- NIÆ	{	POLONIA MINOR. Cracouia: <i>Crakow.</i>	
		POLONIA MAIOR. Posnania: <i>Posna.</i>	
		CVIAVIA. Vladislauia: <i>Vladislau.</i>	
		MAZOVIA. Varsauiæ: <i>Varsau.</i>	
		RVSSIA NIGRA, seu Rubra, Meridionalis, & inferior.	{ Leopolis: <i>Limbourg,</i> seu <i>Luuou.</i>
		PODOLIA. Camienikum: <i>Kamieniek.</i>	
LI- THVA- NIA	{	DVCATVS LITHVANIÆ. Vilna: <i>Vilne.</i>	
		DITIO LITHVANIÆ RVSSICA.	{ Smolenskum: <i>Smolensko.</i> Nouogroda Seueræ: <i>Nouogrodek Seruierski.</i>
		SAMOGITIA. Vormatia: <i>Vorms,</i> seu <i>Medniki.</i>	
		VOLHINIA. Lucceria: <i>Luczko.</i>	
		PODLASSIA. Bielka: <i>Bielsko.</i>	
PRVS- SIA.	{	ANTIQA DIVISIO in 12. Ducatus, seu Prouincias.	
		NOVA DIVISIO	{ DVCALIS, seu BRANDEBVRGICA } Regimons: <i>Koninsberg.</i>
			{ REGALIS, seu POLONICA } Gedanum: <i>Dantzik.</i>
REGIONES DECERPTÆ EX REGNO POLONIÆ	{	LIVONIA, nunc Succo parat.	
	{	TRANSYLVANIA	{ Ottomanici
	{	VALACHIA	{ clientes.

LE ROYAUME DE POLOGNE

